



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Series Actorvm Omnivm In Canonizatione Sancti Thomae a Villanova, Cognomento Eleemosynarij

Romae, 1658

Nicolaus tituli Sancti Eusebij Cardinalis à Balneo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9857

mortalium vim, & consuetudinem euectus, dum se ipsum pro nihilo habuit, Ordini suo magni doctoris Augustini, Ecclesiæ suæ Valentinae maximum honoris incrementum attulit, Hispaniæ vniuersæ decus ingens, & perennem gloriam comparauit.

Julius tituli Sancti Xisti Cardinalis Rospi- gliosius.

Præclarissimæ sunt virtutum prærogatiuæ, quibus Beatus Thomas de Villanoua mirificè insignitus, in diebus suis Deo placere studens, à prima vsquè ætate vias eius sedulò custodiuit, & vitam Mundi contemnens, vitam planè cœlestem peregit in Terris. Religioso Ordini addictus, tum etiam Valentinae Ecclesiæ Præfectus, factus exemplum bonorum operum, Episcopis vigilantiam, Regularibus disciplinam, omnibus Charitatem assiduè præmonstrauit. Tot merita, plurimis, atquè eximijs confirmata miraculis, iure optimo postulare videntur, vt eidem cunctarum virtutum gloria cumulatissimo, Sanctorum honores à S. V. decernantur.

Nicolaus tituli Sancti Eusebij Cardinalis à Balneo.

Vita præclara Beati Thomæ de Villanoua ad eò Omnipotentis Deo fuit accepta, vt eius precibus illuminauerit cœcos, ad vitam defunctos reuocauerit, ac alia insignia perpetrauerit miracula. Quapropter (Beatissime Pater) optimam causam habet Sanctitas Vestra, toti terrarum orbi indicandi, ipsum cum Sanctis in Cœlo regnare: & dum gloria illius in terris augetur, sperandum est, quòd huius sæculi calamitates miserando, optatam pacem, viribus inimicorum Sanctæ Ecclesiæ prostratis, obtineat.

Fran-